



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

Omnium Sanctorum festo, Paraphrasis in lectionem Apocalypsis Cap. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

T. VI  
22

Amor noster  
vri sit Deo  
ceu primitiæ  
offerendus.  
Sanctificare  
festos dies  
qui intelli-  
gendum.

Dies festi cur  
igniti.

primus actus voluntatis, principiumq; omnium actionum ex voluntate proficiscentium, siue quæ à voluntate sunt (siquidem ex amore bono & ordinato opus iridem bonum ac ordinatum procedit, vt ediuerso ex malo & inordinato amore malum, inordinatumq; opus emergit) iure sanè etiam idem ipse amor noster ceu primitiæ quædam Deo festis diebus offerri debet, ita vt Deum amemus super omnia, atq; in Deum tendamus, & ascendamus per amorem. Id verò ad sanctificationem festorum dierum magis exigitur, quam duo præcedentia, nempe cogitationum ac intentionum oblatio. Vt enim aiunt sancti quidam, præcipua mens siue intentio præcepti de sanctificando sabbato ea est, vt Deo per amorem adhareamus, eiq; præparemus cordis habitaculum. Neque dubium est illum ritè sanctificare festum diem siue sabbatum, qui Deum amat super omnia, vitatq; cuncta huic charitati contraria & inimica, & diuinis vacat laudibus, alijsq; pijs ac religiosis exercitijs. Sunt & alia multa, quæ huc possint adferri, festis diebus obseruanda: sed si quis iam dictis sese sedulo occupauerit, satis habebit negocij, neque opus erit, vt ad mundi vanitates, ad ludos, ad crapulam & ebrietatem, ad choreas, & id genus alia demonum ludibria sese conuertat. Agite ergo charissimi dignè Deo & sanctis eius festos exigatis dies, & quas alijs diebus contrahitis vitiorum maculas istis abstergite & expiate. Propterea enim instituti sunt, vt illis vos reconcilietis Deo, & miseris animabus vestris maturè prospiciaris, sanctos quoque vobis apud Christum iudicem patronos asciscatis, vt vbi ad illius seuerissimum tribunal ventum fuerit, quod vestris non potestis, sanctorum meritis & precibus obtineatis. O felices vos, si dum adhuc licet, hac ratione salutem vestram consulueritis. Vt autem illis, qui sacris diebus, non solum præterita peccata non diluunt, sed etiam vehementissimè exaggerant, quibus remedia & adminicula salutis vertuntur in exitium. Quod à nobis auertat Deus in secula benedictus, Amen.

IN. FESTO OMNIUM SANCTORVM,  
Lectio Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli,  
Cap. VII.

**V**idi Ioannes vidi angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terra & mari, dicens: Nolite nocere terra & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor milia, signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda, duodecim milia signati. Ex tribu Ruben, duodecim milia signati. Ex tribu Gad, duodecim milia signati. Ex tribu Aser, duodecim milia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim milia signati. Ex tribu Manasse, duodecim milia signati. Ex tribu Simeon, duodecim milia signati. Ex tribu Leni, duodecim milia signati. Ex tribu Isachar, duodecim milia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim milia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim milia signati. Ex tribu Benjamin, duodecim milia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerari non potui.

re nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amitti stolis albis, & palma in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agnum. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, & seniorum & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

## PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

**L**ectio ista multis scatet mysterijs: in qua præter alia, expressa fit mentio omnium electorum & hominum & angelorum, atque eo nomine congrue sanè legitur in ecclesia hac die, qua ad laudem Dei celebramus generalem sanctorum omnium memoriam, tum vt negligentius in specialibus festis admittas hac communi celebritate refarciamus, tum vt largiora nobis diuinæ benedictionis multiplicatis intercessoribus munera comparemus. Si enim, vt Augustinus ait, fieri non potest multorum adhuc in carne degentium preces non exaudiri, fieri ne posse putabimus, vt sanctorum omnium pro nobis factæ preces, quas hodie communi deuotione ambimus, non exaudiantur à Deo, cum quo iam vnum facti sunt? Olim Moyses quamuis sanctus, vnus tamen homo, sexcentis Iudæorum milibus veniam obtinuit: & quicquam negare poterit Deus sanctus & verus innumerabilibus sanctorum milibus, quos amat amore immenso, & plus quàm paterno, quibus totum se impendit, totum se fruendum impartitur? Vnde intelligimus, quàm non nisi ex Dei spiritu factum si, vt ab Ecclesia singulis annis seruetur festum celebre ad honorem omnium sanctorum angelorum & hominum, quo humana fragilitas apud Deum adiuuetur illorum meritis & suffragijs, quos constat illi esse longè intimos atque charissimos, quibus nec velit, nec possit quicquam denegare. Quamobrem hac die Christiani omnes tota deuotione debent incumbere precibus, obsecrare & patronos sibi demereri atque conciliare sanctos omnes, per eos veniam & gratiam sibi impetrare à Deo, & potissimum felicem mortis horam, & denique quicquid ad bene beatæque viuendam necessarium est. Multis enim exemplis probatum est, eos qui piè ac sedulo sanctos venerati sint, raro malè obijisse: qui autem illos contempserint, sæpe etiam morte subitanea, aut alijs horrendis malis subito affectos esse. At nunc lectionem ipsam succinctim explicemus. Ego Ioannes Apostolus & Euangelista, vidi angelum quendam ascendentem & in sublimè volantem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, signum filij hominis, nempe sanctam crucem præ se ferentem, vnde posset inrernosci ab angelis tenebrarum. Cum enim sæpe satanas transfigurer se in angelum lucis, non veritate, sed simulatione, ne sancti homines visis spiritibus decipiantur, certa quædam signa secum ferunt angeli sancti, ex quibus dinosci queant. Clamauit autem idem angelus, stans in loco excelso, voce magna, non tam clamoris vehementia, quàm diuinæ virtutis autoritate, quatuor angelis malis, quibus ad exercitatio-

Festū omniū  
Sanctorū ob  
quas rationes  
sub vno cele  
bretur die.

Augustin.

Exod. 32.

Festū omniū  
Sanctorum  
quanta cele  
brandum deu  
otione.

Ex venerati  
one Sancto  
rum quæ bo  
na prouen  
iant.

Signum Dei  
viui quod  
nam sit.

2. Cor. 11.

T. VI  
22

Rom. 1.

non fidelium datum & permissum est à Deo, qui suis electis omnia facit cooperari & cedere in bonum, nocere ac diuersas molestias, cruces & vexationes admouere terræ & mari, id est, fidelibus in Deum credentibus, atque in hoc orbe passim commorantibus. Clamauit autem ita dicens: Nolite diuina refracti virtute, quæ vobis certos dedit limites, quos prætergredi nec debetis nec potestis, nocumentum aliquod inferre terræ & mari, neque arboribus, id est, homines Christi fideles ne diuexeris aut impugnetis, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum: non solum in frontibus externis, quod signum indiscriminatim omnes boni ac mali Christiani accipiunt, sed etiam internis, in ipsa animæ facie. Non enim satis est fidem habere crucis Christi, sed etiam opera adfint oportet. Christiani omnes credunt quidem in Christum, & hoc ipso habent in fronte corporis signum Dei viui, sed non erunt immunes à potestate in aliorum spirituum, nisi fidei signum quod gestant in corpore, etiam inuolabile intus in anima conseruent per veram ac sinceram charitatem, quæ benefactis declaratur. Non ergo sufficit habere signum fidei (Id enim multi habent qui tamen non numerantur inter electos) sed etiam eorum quæ ad fidem pertinent executio coniungenda est, quam præstat charitas, quæ electi à reprobis distinguuntur. Discimus ex hoc loco manifestè, quàm nihil possint dæmones contra nos nisi quatenus, sinuntur à Deo ad exercitationem fidei & patientiæ nostræ. Quamobrem sæpe rogandus est Deus, vt inimicorum nostrorum malitiam & nocendi libidinem sua virtute restringat, ne qua ex parte nobis damna irrogent. Multi enim dæmonum impugnationes aut molestiores sentiunt, aut ipsi citius succumbunt, quod sint ad implorandum diuinum auxilium pigri & desides. Orantes autem libenter Deus exaudit & adiuuat, seruat ac tuetur. Et audiui, inquit Ioannes, numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Lectio ista, vt volunt doctores, ad tempora Antichristi pertinet, quibus certum est multos Iudæorum ad prædicationem Enoch & Helix conuertendos ad Christum, quorum summam indefinitam numerus iste definitus exprimit: quanquam potest etiam de omnibus electis Iudæis accipi. Imo sunt qui de tota electorum omnium frequentia hæc interpretentur, sequentes mysticam vocabulorum, quibus singulæ tribus appellantur, significationem. Nam & ipse numerus duodenarius totus sacratus & mysticus est. Quod autem hic in enumerandis tribubus duodecim non seruat ordo generationis, quod item Dan penitus relictur, nec id quidem occultis vacat mysterijs. In ipsa quidem ordinis naturalis commutatione monemur ad mysticum recurrere ordinem, quem alij diuersi partim subus, partim stricteius edisserunt, ad quos nos lectorem remittimus, ne simus longiores. Porro tribus Dan ea ratione putatur prætermissa, quod inde sic Antichristus natus est. Deinde postquam ex singulis tribubus duodecim millia signatorum commemorauit, subiungit S. Apostolus: Post hæc vidi in spiritu turbam magnam, hominibus quidem incomprehensibilem & innumerabilem, Deo tamen & catholicis cognitam, ex omnibus gentibus, & tribus & populis, & linguis, non ex Iudæis tantum. Non enim illis solus datus erat Christus, sed & cæteris nationibus, sicut scriptum est: *Dedit se in lucem genti, vt sis*

Sufficit quodnam signum fidei.

Quidam cur citius à dæmonibus decipiantur.

Lectio hæc ad quod tempus respiciat. Malac. 4. Apoc. 11.

Numerus duodenarius vt sit mysticus & sacratus totus.

Dan familia cur hoc loco omissa sit.

Esaiæ 41. 49.

ut sis salus mea vsque ad extremum terra. Vidi, inquam, eos stantes ante thronum Dei, diuinæ maiestatis eius contemplationi semper intentos, & ad omnem eius voluntatem summa cum reuerentia paratos atque promptissimos: & in conspectu agni, qui abstulit peccata mundi, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: de cuius glorificata humanitate dico non potest, quanta capiant gaudia beati omnes. Erantq; amicti stolis albis, ob innocentiam siue seruatam siue recuperatam purissimis in sanguine agni dealbatis vel candefactis: & palmæ in manibus eorum ob plenissimam ex hostibus & mundi voluptatibus reportatam victoriam. Et clamabant voce magna, totis animæ medullis, omni mentis affectu, cunctisque viribus & summa cum deuotione & gratitudine: Salus Deo nostro sit & immensa beatitudo, honor & gloria, sedenti super thronum, & omnia pro sua potestate, sapientia & bonitate regenti, & agno Christo Iesu innocentissimo filio eius, cui, quatenus Deus est, idem cum patre debetur honor: quatenus verò homo est, nõ profus idem, sed tamen longè excellentior, quàm toti creaturarum omnium vniuersitati. Et omnes angelici spiritus stabant in circuitu throni, intentis vultibus in Deum gloriæ, quem audissimè inspiciunt, parati etiam ipsi ad omnem summi Imperatoris nutum: stabant item in circuitu seniorum & quatuor animalium, hominum scilicet in cælesti patria cum ipsis regnantium, & sanctorum quatuor Euangelistarum, cæterorumq; prælatorum vel patrũ Ecclesiæ, tanquam illorum conserui, atque conciuues sub vno principe Deo. Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, profundissima humilitate sese submittentés diuinæ maiestati, eamq; ita vt dignum erat summa cum reuerentia adorantes, tanquã Deum ac Dominũ suum, à quo se nouerant consecutos omnẽ beatitudinem suam & omne bonũ suum. Unde & nos discimus, quanta cum humilitate & reuerentia Deũ cæli, regem gloriæ, Dominũ maiestatis adorare debeamus, quando cælestes illi & præclari spiritus intantum sese abijciunt. Et tamen pro pudor, videas multos etiam dum diuina peraguntur mysteria in sacris ædibus, rigido stare corpore, & nullam vnquam præstare reuerentiã diuinæ maiestati: quosdã etiam pro nefas in iniuriam & contemptum summi Dei, sursum deorsum haud secus, quam in foro ambulare in templo dum sacra celebrantur. Quorum sicut est impudens & execranda impietas, ita erit olim etiam grauissima damnatio. Porro, sancti angeli corruentes in facies suas, adorauerunt Deum, dicentes: Amen, id est, sanctorum hominum sententiam approbantes. Cum enim summè diligant Deum iure optimo summè diligendum, qui cum nullius indigeret, tamen & angelos & homines condidit suæ beatitudinis participes, non possunt non approbare, quicquid ad eius laudem & honorem pertinet. Deinde & ipsi addunt: Benedictio, quia præcipuè & superexcellenter est benedictus: & claritas, quia summè pulcher & lucidus: & sapientia, quia essentialiter sapiens: & gratiarum actio, quia bona omnia creaturarum, illius sunt dona, pro quibus merito illi gratiæ semper agendæ sunt: honor, quia summè honorandus: virtus, quia insuperabilis: fortitudo, quia omnipotens & fortis, in secula seculorum sit Deo nostro, Amen.

Apocal. 7.

Adorandus  
quanta cum  
reuerentia  
sit Deus.

Impudentia  
quorundam  
in sacris  
templis,  
quanta.

Psal. 150.

**E**uangelium hodiernum, eam quam Christus in monte tradidit, doctrinam partim complectitur, dignam sanè, quæ nunquam à cordibus fidelium excidat, quam sibi perpetuo habeant propositam ob oculos, & ad quam totos sese semper & vbiq; componant atque conforment. Sublimia quidem sunt, & mundi iudicio planè contraria, quæ hic sapientia Dei è loco sublimi sublimiter docet, sed tamen non excedunt humanas vires: nam alioqui superfluum fuisset prædicare hominibus, quod imitari non possent. Omnis hic mundi amor, omnis voluptas, omnis ambitio, cuncta mundi gaudia, & deniq; quicquid mundus in præcio habet condemnatur & rejicitur, idq; à Dei filio, cui tradita est omnis potestas à Deo Patre, qui quæ est dux & legifer, doctor ac institutor noster, qui legem veterem non soluere venit, sed implere, & perfectioribus præceptis absolueret & cõsummare. Præcis illis antiquæ legis cultoribus temporalia promittebantur, vtpote adhuc longè positis ab aditu regni cælorum. Itaque talia eis data sunt præcepta, quæ illorum infirmitati congruerent. Christus autem qui nobis non terram Canaan, non vineas & oliueta terrena promittit, sed paradysum cœli omnibus bonis rebus affluentem, longè excellentiora nobis iussa dedit, vt præmijs immensis sublimia præcepta vtcunq; respondeant. Populo illi carnali permittebatur carnales ex rebus præsentibus consolationes capere, vt inde discerent firmitus sperare bona semper mansura, quæ illis tantum sub figuris quibusdam & vmbreis, & tanquam in somnis proponebantur: nos verò qui per Christi mortem abolito damnationis chirographo, & mortis imperio destructo, æternam vitam, non temporalia promissa expectamus, ad omnium rerum labentium contemptum præceptis & præmijs inuitamur. Et ne despondeamus animum, tanquam sufficere non possimus exequendis illis quæ exigimur, consolatur nos scriptura diuina, vt certi simus, qui legem dedit, illum & benedictionem daturum, id est, sua gratia adiuturum infirmitatem nostram, qui vtiq; *sufficientes non sumus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*, qui operabitur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Tantum adhibet bona voluntas, & gratia partes suas abundè exequetur. Videamus nunc ipsa Euangelij verba:

Summa huius Euangelij qua sit.

Matth. 1.  
Esaïe 11.  
Esaïe 55.  
Matth. 5.

Præceptis antiquæ legis quantum præsentent nouæ.

Psal. 119.

1. Cor. 2.

Matth. 4.

Exod. 20.  
Montis ascensu quid Christus significauerit.

Videns Iesus turbas, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.

Euangelista Mattheus alio loco scribit Domini opinionem eam multas virtutes illius per totam Syriam diuulgatam fuisse, plurimosq; ad eum ex diuersis locis confluxisse. Quos vbi vidit Dominus, fugiens multitudinem, & expectans secretioris loci secessum, vbi præcepta cælestia sacratius promulgaret, ascendit in montem, vt sicut prisca lex data fuit in monte, ita & noua similiter in monte ederetur. Sed illa per angeli ministerium, hæc ore ipsius Dei. Ipso autem montis ascensu significauit se sublimia quædam, nec omnibus communia traditurum. Vnde etiam turbas inferius reliquit, & solos discipulos secum assumpsit, vtpote tâto paratiores aptioresq; ad illius

fufcipiendas institutiones, quanto illi iam erant quotidiana conuerfandi cum illo confuetudine magis familiares: nec debebant communibus duntaxat præceptis instrui, quos Dominus toti orbi conuertendo ac illustrando deftinarat.

Et aperiens os suum, docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum

Sublimia Dominus præcepta daturus, à paupertate spiritus summe ininitum, quam alij humilitatem, alij facultatum siue rerum temporalium contemptiorem interpretantur. Nam utriusque conuenire potest. Vtraque autem seu fundamentum quoddam est vitæ spiritualis. Quod ad diuitiarum siue rerum temporalium abdicatorem atinet, beati prædicantur, qui eas abijciunt propter amorem Dei, vt liberius possint vacare Deo rebusq; diuinis. Habent enim facultates & bona temporaria suos quosdã nexus & vincula, quibus implicat animos hominũ, vt non possint solutis & liberis animis vacare summo bono. Vnde Dñs dicit: *Nō potestis Deo seruire & mammon.* Quare? Quia diuitiæ vix absque amore inordinato possidentur: atque hic amor aut minuit, aut penitus extinguit amorem Dei. Quicquid autem, id est, quod nos abstrahit ab amore Dei, id iure meritoque contemnendũ est. Si enim cum aduersa laboramus valetudine, libenter caremus illis quamuis delectabilibus vel escis vel potionibus, quæ morbum augent, aut sanitatem impediunt: quanto magis libenter debemus contemnere, quæ animæ perfectam remorantur sanitatem, & nos à perfectione distinent? Itaque beatos prædicat Dñs pauperes spiritu, qui prompto & alacri animo, imo & cum voluptate quadã penitus terrena omnia despiciunt & abijciunt, pauperẽ Christum & ipsi pauperes sectantes, vt possint sine vlla animi distractione, quam efficit cura & amor rerum temporalium, diuinis duntaxat vacare rebus, & animi obtutus absque vlla sollicitudinum terrenarum caligine in Deum defigere. Id enim generatim hic notandum venit, beatitudines hæc quas Dominus hic commemorat, virtutes esse purgati animi, & perfectas atq; consummatas, quatenus cõuenit præsentis vitæ. Atque ea re rectè vocantur beati, qui ijs præditi sunt: quia iam in se sopita habent vitia, & tranquillam cordis pacem obtinent: quod est initium quoddam & inchoatio futuræ beatitudinis. Porro commendantur hic primo loco illi, qui causa amoris Christi relinquunt omnia, & monasticen profitentur. Dicat aliquis: Nonne melius est retinere facultates suas, & inde gratificari pauperibus, atque alia pietatis exercere opera? Respondemus illi: Si melius id est, cur Dominus diuiti illi adolescenti dixit, vt relinqueret omnia, & se sequeretur? ac deinde addidit, diuites difficile ingressuros in regnum Dei? Sed & ipse Dominus cur tam pauper vixit in hoc mundo? Cur omnes credentes in Ecclesiæ exordio reliquerunt omnia? Melius est ergo & perfectius omnia relinquere. Quare? Quia terrena omnia rene amorem cordis sibi vendicare nituntur, punguntq; animum & miserè lacerant. Itaque nec homo sese Deo perfectè coniungere potest, nec sese Deus homini. Nō enim vniri potest homini Deus, donec aliquod intra se mediũ retinet. Ergo, vt Augustinus ait: Bonũ est facultates cū dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dñm simul donare, & ab-

Matth. 6.

Amor rerum temporalium quanta spiritui impediunt præstet.

Pauperes spiritu cur prædicentur beati.

Beatitudines hæc quales sunt virtutes.

Religiosos hic prædicari beatos.

Matth. 19.

Luc. 19.

Acto. 4.

Terrena omnia relinquere quam sic consultum. August.

T. VI  
22

Diuitijs quā impie hodie plurimi abutuntur. solutū solitudine egere cum Christo. Difficile sanē est, & hisce temporibus rarissimum, diuitijs non abuti, non inflari, nō insolescere. Non enim in hominibus hodie tantus inest amor Dei, vt sciant contemnere diuitias: imo vero pene omnes etiam contempto Deo, contempta omni iustitia per fas & nefas nituntur vnde cunctis acquirere. Nihil itaq; consultius, quam laqueos omnes praescindere, & Christū Dñm pauperē ac nudum imitari. Si cui id non placet, sinat, tantū non impediatur alios, qui cupiunt perfectiora festari, & tutiora amplecti. Tamen certum est etiā ipse Dñs accedente sententia, beatos esse pauperes spiritu, qui & habita abijciant, nec quicquā omnino habere appetant, vt possint securē expectare regnū Dei, quod pauperibus promittitur: nec immerito quandoquidem qui nihil volunt habere in terris, caeli heredes sunt. Quod autē ad humilitatē attinet, ad quā quidā pertinere volunt hanc spiritus paupertatē, beati nimirū sunt pauperes spiritu, i. humiles & timentes Deū, in quibus non est tumor animi, & mentis inflatio. Atq; hac ratione aptissimē primo loco hic ponit Dñs humilitatē, tanquā stabile quoddam fundamentū aduersum superbiam, quae totius malitiae fons & origo fuit, quae creaturas rationales & angelos & homines fecit alienos à Deo, inimicos Dei, & poenis sempiternis reddidit obnoxios. Ad hanc humilitatem suam paupertatē spiritus pertinet, vt ex gratia Spiritus sancti, sine qua nulla est vera virtus, nos ipsos sponte & ex animo etiā inferioribus substernamus ac submittam⁹ iuxta Dei beneplacitū, & cū Apostolo omnium seruos, omniumque plebsmate fateamur, atq; omnium nos postremos faciamus. Quod qui potest ex corde facere, ille verē beatus est, quia nihil eum vnquā cōtristare, nihil perturbare poterit, vtpote solidissimo humilitatis innixū fundamento, quod nec creaturę omnes possint euertere. Qui autē humilitatis expertus est, & inflatus sensu carnis suae, putans se aliquid esse cū nihil sit, ille ad omnes tam secundae, q̄ aduersae fortunae status instar arundinis agitatur, & modo exultat immoderantius, modo acerbiori & immoderantiori tristitia absorbetur.

Porro, triplex est humilitas: Prima, qua quis propriā agnoscens vilitatē, imperfectionē, culpas & miseras suas, suapte sponte proprio iudicio sese despicit, & honores non solū non appetit, sed oblatos etiā, corde & voluntate nō suscipit, sciēs nihil se habere dignū honore, sed plurima, qua contemptū & abiectiōnem mereatur. Itaq; sic affectio, atq; sic de se sentiēti, etiā ipsa peccata eius cooperatur in bonū, quandoquidē ex illis sit humilior, & seruatur à superbia, quae Luciferū demersit in tartarū, eo q; noluit attendere q̄ nihil esset sine Deo, sed sola attendit dona Dei, atq; inde sese impudenter exultat vnde debebat ad maiorem accendi gratitudinem. Altera humilitas est, qua quis ex sincera suae vilitatis cognitione non modo ipse se ducit pro nihilo, sed etiam optat ab alijs vilipendi, & qualis est iudicio suo, talis & aliorum cupit iudicio haberi: nempe pauper, infirmus, omnis virtutis inops, procliuis ad omne malū, nisi tamen furtē cedat in scandalum aliorum. Quod non modo in actibus, praesertim externis humilitatis, sed etiam omnium aliarū virtutū cauendū est, atq; ea in ijs adhibēda moderatio, ne possit vrgere in detrimentū aliorum. Tertia humilitas est gratitudinis, qua quis etiā maximis praeditus donis fortunae, naturae & gratiae, nihil inde sibi arrogat, sed omnia refert & refundit in Deum, illi cuncta accepta ferens, illi soli laudem tribui cupiens.

Diuitijs quā impie hodie plurimi abutuntur.

Pauperibus cur regna promittantur calorum.

Humilitas quam sit omnibus necessaria.

2. Cor. 4. Humilis vere quoniam dicitur vult beatus.

Celosi. 1.

Galat. 6.

Matth. 23.

Humilitas cognitionis quae fit.

Isaiz. 14.

Humilitas exhibitionis quae fit.

Humilitas gratitudinis quae fit.

cupiens, nec animo extollitur, nec ultra alios effertur: sed inde magis sese abijcit & humiliat foris & intus coram Deo & hominibus. Hæc humilitas vt est præclara admodum, ita & rara est. Denique eiusmodi pauperibus spiritu, quales iam diximus, id est, qui propter Deum relinquunt omnia, & se ipsos ex animo contemnunt, ac pro infimis ducunt. Christus promittit regnum cælorum, vbi erit summa omnium bonorum abundantia, & summus honor. Quæ sanè congrua est promissio, vt qui abijciunt temporalia, accipiant æterna: & qui se humiliant in terris, exaltentur in cælis. Vnde Augustinus ait: Appetant ergo superbi regna terrarum, sed humiliu est regnum cæloru. Et Chrysostomus: Sicut cætera, inquit, vitia deponunt ad inferos, maximè tamen superbia: sic omnes virtutes inducunt ad regna cælorum: maximè humilitas, quia proprium est, vt qui se humiliat, exaltetur.

Augustin.

Chrysoft.

Matth. 18.  
Lucæ 14. 18.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Mansuetudo virtus moralis est, quæ iræ impetum refranat ac moderatur, ne vel per verba, vel facta, vel signa foras erumpat, nec etiam animu perturbet, præsertim notabiliter & ex rationis cõsensu. Tum verò mansuetudo est altera beatitudinum, quas hic Dominus recenset, quando vsque eo excrefcit & consummatur, vt animu penitus liberum & tranquillu reddat ab iræ vitiosis perturbationibus siue motibus, ita vt nunquam ira rationem præueniente, & eam quouis modo obliquante afficiatur, nisi omnino conuenienter rectæ rationi & diuinæ voluntati siue legi. Nec tamen omnem excludit iram: imo verò incitat ad iram illam, quæ rationis iudicium sequitur, eiq; obsecundat: qualis ira necessaria est aduersum vitia, ne seuiat impunita nequitia: qualis & in Moysè & Dauide manifestè discimus ex sacris literis, qui tamen ambo de singulari mansuetudine commendantur. De qua Chrysostomus dicit: Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec stant iudicia, nec crimina compescuntur. Itemq; Patientia irrationalis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solus malos, sed & bonos inuitat ad malum. Ad mansuetudinem autem obtinendam alijs maior, alijs minor est labor necessarius. Sunt enim quidam naturæ quodam beneficio mites & mansueti, sed nisi copiosa gratia naturam exoruet, parui meriti est eiusmodi mansuetudo. Alijs sunt procliuēs ad iram, ad impatientiam, & aliqua affecti iniuria, vix sese cohibere possunt. Qui si diuina fratri gratia quotidianum indicant bellum huic vitio, & sibiipsis dominari nitantur, maxima sibi acquirunt merita, & quandoq; huius beatæ virtutis habitum adipiscuntur. Et talibus terræ possessio promittitur, terræ videlicet corporis ipsoru, ex cuius sanguine immoderatè calido, aut alias ex praua corporis constitutione ac habitudine sæpè multa eis bella oriuntur: in quibus certandum est acriter, donec Domino præstante victoriam & pacem sanguis & caro edometur, & in futura vita sine vlla rebellionē tranquillissimè possideatur. Potest & terra hic promissa intelligi regnum cælorum, quod est terra viuentium, vbi visuri sumus bona Domini.

Mansuetudo qualis sit virtus.

Mitis quatenus beatitudo quæ sit.

Ira quænam necessaria sit contra vitia. Exod. 32. Numer. 12. Psalm. 132. Chrysoft.

Mansuetudo duplex quæ sit.

Terram promissam micibus bifida intelligendâ.

Psalm. 26.

Matth. 11.

Habemus hic iam duas virtutes, puta humilitatem & mansuetudinem, quas speciatim Dominus in seipso nobis commendauit imitandas, vbi ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et pulchrè humilitas hic primo

T. VI  
22

Mititas qui-  
nam acquirat.

loco ponitur, deinde mansuetudo, quia mitis esse vix potest, qui humili-  
tatis sit expertus. Qui autem humilis est, idem ipse & mitis est. Simus er-  
go mitis & mansueti ad omnem iniuriam, & aduersitatem: idque vt melius  
possimus, contemnamus bona presentia, vt sunt, diuitiaz, honores & volu-  
ptates. Talium enim amor maximas saepe irae praestat occasiones. Qui autem  
ea contemnit, non dolet dum in ijs laeditur, atque ita nec irascitur facile, vbi  
aliquod horum patitur detrimentum. Deinde cogitemus irae turpitudinem  
& impatientiae foeditatem, & quantum ea nos dehonefcent coram Deo & ho-  
minibus: sicq; accendatur animis ad retinendam mansuetudinem. Adhuc  
cogitemus, quam multa soleant incurrere vitia, qui ira superari se sinunt:  
quae ne incidamus, amplectamur Christi mansuetudinem. Ad extremum  
pensemus, quam nihil proficit irasci, imo quam dire, tum corpori, tum ani-  
mae noceat irae insania, quae sanguinem conficit, hominem stulto reddit assi-  
mitem, proximos offendit, famam hominis laedit, cor & rationem pertur-  
bat, Spiritum sanctum expellit, & aeterna meretur supplicia. Qui autem mi-  
tis est, maximam & apud Deum & homines gratiam meretur. Mansuetudo  
sensim obtinetur orando, certando, Christi passionem pie meditando, sob-  
rietati studendo, crapulam & potum superfluum, vnde saepe praui nascun-  
tur humores, choleram & bilem augentes, vitando, mortis incertam timen-  
do horam, & Deum praesentem attendendo.

Ira quoniam  
mala secum  
adferat.

Mansuetudo  
vt sensim ob-  
tineatur.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Luctus qua-  
tenus beati-  
tudo quae re-  
quiritur.

Tertia beatitudo luctus est, ad quem pertinet libenter ac delectabiliter, &  
propenso animo a se abdicare terrenas voluptates, & oblectamenta carnis,  
mundi huius vana, misera, caeca & perniciofa gaudia respuere, iocos, ludos,  
inanes confabulationes, rumores seculares, risum dissolutum, morum leui-  
tatem propter honorem & amorem Dei fugere, amplecti ea omnia, quae car-  
nem rationabiliter castigant & macerant, vt est abstinentia cibi & potus su-  
perflui, item vigiliae, asperitas vestium, lecti duritia, aliaque corporalia &  
spiritualia exercitia, quibus corporis perulantia edomatur, corpusq; ipsum  
in spiritus redigitur seruitutem: quando moderatè assumuntur pro cuiusq;  
viribus & rectè rationis praescripto. Adhuc animum maturum & serium at-  
que studiosum assumere erga ea quae sint vtilia & honesta, bona & salutaria,  
atque in ijs secundum Deum delectari, vt sunt verbi gratia, cuncta Dei ope-  
ra, aeterna bona quae speramus, perfectiones diuinæ, laus Dei, salus anima-  
rum, atque adeo quaeuis opera bona, & exercitia virtutum: quae vt sunt lon-  
gè praestantiora quibuslibet rebus mundanis & corporalibus, ita etiam mul-  
to vberius & suauius praestant homini gaudium & delectationem, vt merito  
praeter illis cuncta vana mundi gaudia respuere debeamus, & delectari in Do-  
mino. Praeterea ad hunc luctum pertinet, religiosum animi morem susci-  
pere ob peccata propria & aliena, ob contemptum & iniuriam summi Dei,  
quam accipit ex nostris & aliorum iniquitatibus ob mundi malitiam, ho-  
minum caecitatem, & innumera praesentis vitae discrimina, quae incerti-  
simus an tandem euasuri simus: item ob propriam imperfectionem, virtutum  
inopiam, procliuitatem in malum, tarditatem ad bonum, atque ob dilatio-  
nem gloriae, quod prolongatur incolatus noster, quod peregrinamur a Do-  
mino,

Luctum san-  
ctum quoniam  
efficiant.

Psal. 119.  
2. Cor. 5.

mino, quod tam longè sumus à patria, quod necdum licet videre faciem Patris nostri qui in cælis est. Pertinet etiam huc, totis animi visceribus ex piissima compassione lugere Christi Iesu acerbissimos cruciatus, quos pertulit propter nos, maximè quando pependit tribus horis in alto crucis patibulo, totus innumeris & internis & externis confectus doloribus: & cum pessimis quibusquæ latronibus in illo extremo mortis supplicio omnes compati soleant, tamen Dominus Iesus ab impiissimis Iudæis tum maximè irrisus, scommatibus & ludibrijs vexatus, blasphemijs & contumelijs afflictus fuit: quod sanè lugendi magnam præbet causam. Est etiam luctus huius, compati tristissimæ matri eiusdem Saluatoris sub cruce filio assistenti, & omnia intus in corde patienti summo & incomprehensibili cum dolore, quæcunque filius in corpore patiebatur. Quæ sanè in tantis pœnis, tanta animi angustia & animi afflictione viua durare non potuisset, nisi vltra naturæ vires diuina eam potentia conferuasset. Si qua ergo in nobis sunt viscera pietatis, compatiamur filio corpore crucifixo, compatiamur & matri corde & animo crucifixæ. Sunt & alia multa lugenda in hoc mundo: sed hæc pauca commemorasse sufficiat. Non est autem, quod putet quisquam luctum hunc cum rancoris amaritudine, aut cum acedia fastidio vel tædio erga bona spiritalia, vel cum diffidentia vel desperatione coniunctam: imo verò nunquàm est sine dulcedine & gaudio Spiritus sancti. Siquidem magnus amor Dei luctum hunc efficit, atque idem ipse Dei amor non potest non delectatione & gaudio animum afficere. Vnde etiam promisit Dominus ita lugentibus consolationem præsentis vitæ & futuræ, non carnalem & vanam, sed spiritualem & diuinam, quæ hic inchoetur ex certa spe & expectatione futuræ beatitudinis, ex interna sancti Spiritus visitatione & illustratione, ex affluentia deliciarum Dei in anima: & demum perficiatur, vbi eo venerimus, vbi Deus absterget omnem lachrymam ab oculis hic religiose lugentium, nec erit amplius luctus neque vllus dolor, sed consolatio plena & perfecta.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Anima cum sit incorporea, inuisibili cibo potuquæ alitur. Sed non esurit neque sitit iustitiam, nisi sana & bene constituta sit, sanumq; & integrum habeat stomachum, à vitiis corruptis humoribus amara contritione, pura & sincera confessione, ac digna satisfactione repurgatum. Nam in quibus tales etiamnum humores resident ac dominantur, illis esca salutaris, nempe iustitia, & quicquid Dei est, in fastidio est: venenum autem in desiderio. Patet hoc in filio illo prodigo, qui ad tantam vsque animi corruptionem & infectionem deuolutus est, vt filiquis porcorum optaret ventrem impleri suum, & nemo illi dabat, tantum scilicet quod eius posset explere famem. Non enim anima faciat sordidis carnis voluptatibus, sed corrumpitur ac deprauatur, & nisi apponat salutare remedium, nempe pœnitentiam & emendationem sui, mortem æternam sibi asciscit. Vbi autem toto corde ad Deum conuertitur, atque à vitijs sanata, per præcedentes beatitudines iam mundana contemnit, paupertatem & humilitatem amplectitur, mores mansuetudine regit, & delicta desinit, ac digna satisfactione castigauit, iam tum

1111 3 incipit

Matth. 11.

Christo quatenus compatiendum.

Mariæ virginis compatiendum.

Luctum hunc non esse sine dulcedine & gaudio Spiritus sancti.

Esaiæ 15. Apoc. 21.

Animæ stomachus qui nam purgandus.

Lucæ 15.

T. VI  
22

Iustitiam e-  
surire & siti-  
re quid sit.

Esuries sitis-  
que iustitiz  
quoniam exi-  
gat.

Ex. ch. 3.  
Augustin.  
Subditi qui-  
nam sint re-  
gendi.

1. Tim. 6.

Satietas spi-  
ritualis ubi  
siet.  
Psal. 102.

August.  
Elemofyna  
quoniam pre-  
sanda.

Misericordiz  
beatitudo

incipit esurire & sitire iustitiam, id est, vel in generali, magno quodam fer-  
uere desiderio omnis boni & honesti, omnis virtutis, atque in ipsis virtuti-  
bus magis ac magis proficiendi: vel in particulari, maximopere velle & de-  
siderare reddere unicuique quod suum est. Id enim iustitia exigit, vt tribua-  
tur unicuique quod illius est. Ergo ad esuriam & sitim iustitiz pertinet. Pri-  
mo, vt Deo, Ecclesie & superioribus integram & voluntariam præsenti-  
obedientiam. Secundo, vt superiores subditos suos admonendo, obsecran-  
do, increpando, terrendo, leniendo, castigando, si opus sit, & alijs modis  
congruis à vitijs reuocent, & prouocent ac eximulent ad virtutes: alioquin  
nisi ita agant, perditio subditorum in caput ipsorum redundabit, vt apud  
Ezechielem Dominus minatur. Atque istud etiam ad omnem patrem fami-  
lias spectat. Vnde Augustinus cuidam comiti scribit in hæc verba: De omni-  
um in domo tua tibi subiectorum salute sollicitus ac vigil existas: quia pro  
omnibus tibi subiectis rationem Domino reddes. Annuncia, præcipe, impe-  
ra, suade eis vt caueant sibi à superbia, à detractione, ab ebrietate, à fornicatione,  
à luxuria, ab ira, à periurio, à cupiditate, quæ est radix omnium ma-  
lorum. Tertio, huc exigitur, vt in mutuis contractibus, in omni emptione  
& venditione seruetur fides, & æqualitas precij ac emptæ sue venditæ rei,  
frausque omnis vitetur. Nam qui fraudem facit, peccat in iustitiam, & est ob-  
ligatus ad restitutionem, si sciens & prudens id agat. Quarto, vt aliena resti-  
tuantur. Sunt & alia ad iustitiam pertinentia, quæ causa breuitatis præteri-  
mus. Porro, tum demum verè esurimus & sitimus iustitiam, quando iam di-  
cta cum ingenti ac insolito quodam & feruenti desiderio præstamus. Deni-  
que iustitiam esurire & sitire, est Christum audivissimè suspirare, & Euchari-  
stie magno flagrare desiderio. Saturabuntur autem esurientes & sitientes  
iustitiam in vita æterna, quando in bonis replebitur desiderium nostrum.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam conse-  
quentur.

Misericors & miserator Dominus cupiens nos ad sui perducere similitu-  
dinem, hortatur nos ad misericordiam, idque adeo, vt si nos in proximos fi-  
mus misericordes, ipse quoque se nobis polliceatur fore misericordem. Er-  
go si vis facilem & homo peccator impetrare misericordiam, sis liberalis &  
pius in proximos, leua miserorum inopiam benignitate tua, vt Deus igno-  
cat iniquitati tuæ pro bonitate sua. Si autem auarus & crudelis es, & claudis  
viscera ab egeno fratre tuo, superest vt talem tu quoque Dominum Deum  
tuum experiaris. O immensam bonitatem Dei, qui iudicij sui sententiam pe-  
nè in nostro posuit arbitrio, dum misericordiam pollicetur nobis miseri-  
cordiam in alios declarantibus. Augustinus quodam sermone ait, ea quæ su-  
perflua sunt homini ultra rationabilem victum & vestitum, læto ac hilari  
animo pauperibus eum debere impartiri. Idcirco læto & hilari ani-  
mo, quia parum dat & accipit multum: porrigit nummum, & comparat  
regnum: tribuit paruum pecuniam, & accipiet vitam æternam: dat tempo-  
ralia & meretur æterna: porrigit caduca, & recipit sine fine mansura.

Ad misericordiam pertinent septem corporalia, & totidem spiritualia mi-  
sericordiz opera. Denique tum misericordia beatitudo est, quando ita con-  
dolemus

dolemus aliorum malis & miserijs vt proprijs, & pro viribus promptissime eis opitulamur. Misericordia Deo nos simillimos reddit, de quo dicimus: Deus cui proprium est misereri semper & parcere.

Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

Cor non maculatur nisi vitijs & passionibus: quibus abolitis & mortificatis ac expiatis, cor mundatur, conscientia serenatur, & cordis oculi fiunt aperti & idonei ad contemplandum Deum. Cordis munditiam summè in nobis diligit Deus, libenterque sese coniungit & vnit mundo cordi, maxime ei præstat rerum diuinarum cognitionem, & excellentia gratiæ suæ zænera. Inde est, quod quandoque simplices quidam & idiotæ per munditiam & innocentiam cordis ad tam sublimem diuinorum euehantur contemplationem, vt eos summi Theologi vix possint capere. Cernimus hoc in præclarissimo illo viro Ioanne Rusbrochio, qui ob mirabilem cordis puritatem & simplicitatem licet alioqui parum doctus esset, tantam Dei, diuinarumque rerum adeptus est notitiam, vt exercitatissimis Theologis admiranda scripta reliquerit & quantum ex eius libris colligi licet, nonnunquam ad Dei contemplandam essentiam admissus videtur. Et quid mirum, quando Dominus mundis corde Dei visionem pollicetur: quæ tamen præcipue ad futuram vitam pertinet. Videt autem tales Deum hic per speculum in ænigmate postea, autem facie ad faciem.

Cor quibus-  
nem macula-  
tur.

Munditia  
cordis quanta  
etiam in  
illiteratis effi-  
ciat.  
Ioannes Rus-  
brochius.

1. Cor. 13.

Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.

Pacifici sunt, qui primo quidem pacem seruant erga Deum, illi in omnibus morem gerendo, quod idem veram præstat conscientie pacem & peccatoris tranquillitatem, cupiuntque etiam proximos quosque ad hanc pacem pertingere, eosque ad eam adducere pro viribus nituntur: Deinde etiam cum proximis, quantum in ipsis est, pacem inuiolabiliter obseruant, odiunt scandala, dissensionum & discordiæ occasiones summè vitant, neminem lædere, omnibus prodesse cupiunt, etiam pacis inimicos optant ad pacem reducere, & dissidentes modis omnibus conciliare. Denique & in seipsis pacem custodiunt, id summopere curantes vt portio sensitiva sit in omnibus subdita rationi, & ratio sit subiecta Deo. Tales autem pacis amatores, pacisque studiosi merito vocabuntur filij Dei, qui Deus pacis dicitur, & qui pacem diligit, & non nisi in pace commoratur.

Pacifici qui  
dicantur tri-  
plici ratione.

2. Cor. 14.  
Psalm. 75.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

Optime loco vltimo ponitur beatitudo eorum, qui propter iustitiam persecutionem patiuntur. Vbi enim præcedentibus quis virtutibus præditus est, is maximè solet à demonibus & malis hominibus infestari, contumelijs, iniurijs, mendacijs affici & dehonestari. Sed non solum nihil inde dolere, imo etiam maximè gaudere debet, quia patitur propter iustitiam & propter

T. VI  
22

Christum, cui placere cupit, qui ei reddet immensa cæli gaudia, & mercedem magnam nimis, hoc est seipsum. Ipse est enim merces copiosa, qua nobis promittitur in cælis. Itaque dilectissimi exerceamus nos in his virtutibus, & contrarijs abstinemus vitijs vt in præsentem gratiam, & in futura vita Dei gloriam adipisci mereamur, Amen.

SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

*Quid nostra efficiant merita: & de æterna beatitudinis ineffabilitate & incunctitate.*

Matth. 19.

**G**audete & exultate: quia merces vestra copiosa est in cælis, Matthæi V. Etsi nihil habeamus charissimi fratres quo Deus egeat, nec quicquam illi offerre possimus (nihil enim ex nobis habemus boni) nisi quod ab illo acceperimus, at tamen rectè facta nostra quamuis exigua quamuis imperfecta, quæ tamen ipsius gratia sunt bona, ita habet accepta, ac si multum ipsi sine frugiferat: aliq̄ue ea præmio afficit, quasi magna sint & ingentis pretij: sicq̄ prouocat nos ad bene agendum: idq̄ue ea ex causa, quia amat nos, eo quod sui sumus, cupitq̄ue habere occasionem nobis gratificandi, & communicandi summum illud bonum, quod ipse est, nosq̄ue participes reddendi beatitudinis suæ, qua æterno beatus est. Id enim eius p̄scit iustitia, à qua haud vquam temere deflectit, vt æterna beatitudine non perfruatur, nisi qui eam sit emeritus, & qui pro ea obtinenda sudauerit. Merces enim dicitur, eo quod labori vel merito reddatur. Nec tamen possumus æternam beatitudinem nostris mereri viribus: nisi quod pijsimms Deus ita decreuit, vt qui ipsius præcepta seruauerit, vita æterna dignus sit. Atqui sine illo nihil possumus. Itemq̄ ab illo est & velle, & perficere & mereri nostrum. Non vtiq̄ue cogit nos, sed excitat vt velimus, adiuuat vt possumus, corroborat vt perficiamus. Et licet ipse vna nobiscum faciat totum, quicquid rectè gerimus, tamen ita remunerat, ac si de nostro aliquid contulisset. Certè Dominus Iesus duplici iure sibi vendicat regnum cælorum: Nempe hæreditate, quia est Filius Dei: & passione & morte sua, qua & sibi & omnibus membris suis illud obtinuit. Membra illius sunt, qui eius præcepta seruant, quæ in hodierno Euangelio sub septem vel octo virtutibus, atque alibi breuius sub duplici charitatis præcepto comprehenduntur. Non sunt autem grauiæ præcepta illius, vt ait S. Iohannes, scilicet vbi adest bona voluntas. Itaque qui hæc præcepta seruant, membra sunt Christi, iureq̄ue percipiunt regnum Dei, non tam meritis suis, quam Christi, qui pro electis suis omnibus satisfecit. Porro, caput, non vult à membris separari, sed est vnum cum eis corpus: atque vbi caput est, eo & membra sequi necesse est. Hanc mercedem iam adepti sunt sancti omnes, quorum hodie generalem agimus solennitatem. Et licet nos necdum experti simus, necdum gustauerimus illam æternæ felicitatis retributionem, (Non enim vidit oculus, nec aëris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se) saltem interim de ea vel parum aliquid dicamus, quia multum non possumus, cum sit ineffabilis. Iam ante vobis illa Domini verba recitata sunt, quibus ait: *Gaudete & exultate quia merces vestra copiosa est in cælis.* Quæ quidem verba tum protulit quando nouam, id est, Euangelicam legem

Regnum celorum vti duplici iure Christus sibi vendicat. Matth. 5.

1. IOAN. 5.

Esaiæ 64. 1. Cor. 2.

Matth. 5.

legem quam sub septem beatitudinibus descripsit, cuncta noui Testamenti præcepta, sub septem virtutibus comprehendens, in monte promulgauit. Prius enim mentionem fecerat beatitudinis virtutum quæ cum labore acquiruntur: & persecutionis malorum, quam pij omnes ferre habent, vt Apo- 2. Tim. 3. stolus ait: ideoq; pro consolatione mox subiunxit etiam virtutis præmia. Vt enim D. Gregorius affirmat, expectatio præuij, minuit vim laboris. Gregor. Quod nulla habet declaratione opus, utpote quod experientia quotidiana discimus. Quis quæso mercenarius suam nobis locaret operam, absque spe mercedis? quæ quanto est maior, tanto labor censetur leuior. Agricola & vinitores quantos, quam diuturnos etiam libenter suscipiunt labores quod se sperent largas messuros segetes, & vini copiam consecuturos? Sic etiam pius Dominus nouerat paucos tanta flagrare charitate, vt ipsi solo ex amore, atque vnico duntaxat illi placendi studio seruiant: propterea etiam magna voluit præmia polliceri: sed & supplicia minari. O quam multos à virtutibus retrahit gehennæ timor & spes beatitudinis. Verum non satis est ad salutem vel solo timore pœnæ aut sola mercedis contemplatione seruire Deo, quia vtrumque potest esse absque charitate, sine qua nullus vnquam saluus erit. Ergo danda nobis opera est, vt seruili timore in filialem mutato, atque mercenariorum affectu in amorem liberalem transato, seruiamus Deo animo Seruire quoniam solo animo debeat seruire Deo.

libenti ac voluntario: ea sola consideratione, quod ipse omni honore & cultu dignissimus est, quod summè bonus, pulcher, amabilis, desiderabilis, & super omnia præcipue verendus est: sicque quicquid agimus, ideo faciamus, vt illi placere, illius assequi gratiam & amicitiam, illum laudare ac honorare possimus. Talis est affectus filiorum, qui non querit quæ sua sunt, sed quæ patris: idque solum curat, vt nihil admittat vnquam, quo pater offendantur aut contristentur: nihil omitat, quod illi placere aut ad illius honorem pertinere nouerit. Hac nos charitatis sinceritate dilectissimi Domino seruire debemus, tanquam filij amantissimo parenti. Ideo quoque nos orare docuit: Pater noster qui es in cælis, vt hoc ipso admoneamur non seruili, sed liberali animo nos ei seruire oportere, atque erga ipsum spem & fiduciam gerere, atque ad eum ceu Patrem clementissimum confugere. Hac charitate sancti Deo seruiuerunt: quæ etiam in nonnullis tanta fuisse legitur, vt si potuissent cedere ad honorem Dei, pro illius amore libenter pœnas inferni sustinuissent: salua tamen charitate Dei perfecta, & voluntatis integra vnio- ne cum Deo, qualis est beatorum in patria. Interim nihilominus charissimi nos, qui etiam nunc virtutum inopes & fragiles sumus, atque à sanctorum charitate feruenti multum distamus, timore supplicij refranemus nos à virtutibus: nam eiusmodi timor imperfectos retrahit à malo: nec tamen solo hoc timore moueamur, sed præcipue nos moueat timor Dei, ne scilicet offendamus Dominum Deum nostrum, tam bene de nobis meritum, & tam dignum omni honore ac reuerentia. Sed & regnum cælorum & possumus & debemus appetere, non tamen propterea potissimum bene agere, sed vt placeamus Deo: quanquam & ideo licet perere beatitudinem, quod ibi fit perfecta iustitia, perfecta charitas, perfectum gaudium in Deo: nec vllus ibi fit defectus, nullum vitium: maximè verò quod illic conspiciemus, obtinebimus, perfuemur illo, quem amamus, & appetimus, cuius causa conditi sumus,

m m m m & viu-

nam solo animo debeat seruire Deo.

Matth. 6.

Charitas quorundam sanctorum quæta fuerit.

Beatitudinē desiderare quando debeat.

T. VI  
22

& viuimus, & facimus quicquid bene agimus, & in quo omnimoda potes-  
 mur felicitate. Hæc igitur ratione aspiremus dilectissimi ad regnum illud  
 infinitæ beatitudinis, vt scilicet possimus coniungi Deo, Deum quæ perfectè  
 diligere, hoc est, vt omnes sensus & motus nostri ferantur semper in Deum,  
 quod in hac vita non est possibile, atque in illo perfectè quiescamus. Siqui-  
 dem hæc amoris natura est, vt velit adesse dilecto. Nimirum charissimi,  
 mortales omnes ex ipsa quoque natura bonum appetunt, nec quisquam est  
 qui malum velit sub ratione mali: quando malum per se non est concepi-  
 ibile. Quod autem homines malum amplectuntur, ideo fit, quod malum  
 quadam boni specie ipsis imponatur: idque rationis errore agitur, quæ malum  
 tanquam bonum offert voluntati, quæ ex se nihil vult, nisi quod bonum vi-  
 deatur. Porro summum bonum, quod est verum bonum, & in quo vno to-  
 ta hominis beatitudo consistit, omnes appetunt: quia vt Augustinus ait, ad  
 appetendam beatitudinem natura compellit, cui summè bonus & immuta-  
 biliter beatus conditor hoc indidit: & vt D. Bernardus dicit, nõ sumus qui-  
 eti, donec eam simus adepti. Cuius ratio est, quod finis noster sit beatitudo.  
 Quamobrem cum omnia quæ sunt, naturaliter appetant consequi finem su-  
 um, cur non multo magis homo rationis particeps id velit? Non autem eo  
 fine conditi sumus, vt semper in hoc exilio viuamus, edentes, bibentes, &  
 bonis huius mundi perfruentes, sed vt rectè agendo ad æternam vitam per-  
 tingamus. Atque ea est merces, quam Deus nobis promittit copiosam in cæ-  
 lis. Hanc consecuti sunt sancti omnes, quibus hic dies sacer est: eamque & nos  
 consequemur, si iisdem, quibus & illi, vestigijs ingressi fuerimus, id est, si hu-  
 miles, mansueti, misericordes, lugentes, esurientes & sitientes iustitiam, mi-  
 di corde, pacifici & patientes fuerimus. Quid verò illic habituri sumus? Quod  
 oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. Tanta  
 enim sunt gaudia illius patriæ cælestis, vt si cuncta & præterita & futura vix  
 huius gaudia in vnum consentur, in illorum comparatione profus nihil  
 sint. Ibi enim Deum ipsum videbimus, cuius comparatione cætera nihil  
 sunt. Vnde & Aristoteles ait, id quod simpliciter per essentiam bonum est,  
 melius & perfectius esse, eo quod quadam illius participatione bonum est.  
 Sic ignis ex sua natura perfectius calorem habet, quam aqua calida: & sol ve-  
 rius lumen habet, quam stellæ, quæ id à sole mutuuntur. Cum ergo Deus  
 solus sit bonus per essentiam, & creaturæ omnes iuxta diuersos gradus tan-  
 tum habeant bonitatis, quantum illis Deus communicat, certum est Domi-  
 num Deum infinito creaturis omnibus esse præstantiorem, suauiore delectabili-  
 ore. Quicquid enim in creaturis est pulchrum, ordinatum, elegans,  
 formosum, delectabile, totum ex Deo promanauit qui est omnis boni, pul-  
 chritudinis, suauitatis fons inexhaustus. Si igitur creaturæ adeo delectant  
 qualis ille censendus est, qui fecit illas, indiditque illis vnde sunt delectabiles.  
 Reuera infinite delectabilis est, siquidem & ipse bonum est infinitum. Vnde  
 B. Augustinus loquens ad Deum. Ex visibilibus his, inquit, tua inuisibilia cõ-  
 prehendemus Domine Deus creator noster. Si enim mihi Domine pro hoc  
 corpore ignobili & corruptibili tam magna & innumera beneficia præstas à  
 cælo, à terra, à mari, luce & tenebris, calore & umbra, fore & imbre, ventis &  
 pluuijs, volueribus & piscibus, bestijs & arboribus, ac multiplici varietate  
 herbarum

Malum unquam appeti nisi sub specie boni aliquis.

August.

Bernardus.

Math 5. Luc 6.

Isa 64.

Gaudia cælestis patriæ quanta sint. Aristote.

Augustin.

herbarum ac germinum terra & cunctarum creaturarum tuarum ministe-  
rio nobis succellive suo tempore ministrantium, ut alleues fastidium: qualia  
quæso & quam magna & innumerabilia, quam dulcia & delectabilia sunt,  
quæ solis tuis largiturus es amicis? Si tanta præstas solatia in hac die lachry-  
marum, quanta confers in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet exi-  
lium, quanta quæso continet patria? O Deus non vidit oculus absque te, quæ  
præparasti diligentibus te. Secundum enim magnam multitudinem magni-  
ficentia tua, est & multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti dili-  
gentibus te. Magnus enim tu es Dominus Deus meus & immensus, nec est fi-  
nis magnitudinis tuæ, non est numerus sapientia tua nec est finis, seu nume-  
rus atque mensura retributionis tuæ. Sed sicut magnus es tu, magna sunt do-  
naria tua: quoniam tu ipse es præmium & donum omnium legitimorum  
pugnatorum tuorum. Hæc ille. Quantaunque igitur sint solatia præsentis  
vitæ, nulla tamen sunt si cum æterna beatitudine conferantur. Quare & D.  
Gregorius quadam homelia sic habet. Si consideremus fratres charissimi,  
quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo om-  
nia quæ habentur in terris. Et D. Bernardus, illud, inquit, solum est verum &  
summum bonum, quod non de creatura, sed creatore concipitur. Quod cum  
acceperis, nemo tollet à te: Cui comparata omnis aliunde nata iucunditas,  
mæror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum  
foedum est, omne postremo quod delectare potest, molestum est. Rursusque  
Augustinus, Tam ingès, ait, est delectatio illius supernæ gloriæ, quod etiam si  
non liceret amplius in ea nisi unius diei hora manere, propter hoc solū in-  
numerabiles anni præsentis vitæ pleni delictijs & omni affluentia tempora-  
liū bonorū, rectè meritoque contemnerentur. Tanta est, inquit idē dulce do-  
raturæ gloriæ, quod si vna gutta in infernum deflueret, totā damnatorū ama-  
ritudinem dulcoraret. Porro, immensa isthæc illius æternæ vitæ beatitudo,  
ex diuinæ essentia in qua sola est perfecta felicitas, visione & fruitione pro-  
ficiscitur. Ut enim Augustinus ait: Beatitudo est quædam perfecta diuinita-  
tis fruitio & perennis diuinæ maiestatis contemplatio. Frui autem, ut idem  
August. dicit, est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Et ideo Deo solo  
proprie fruendū est, quia cæteris omnibus etiam virtutibus, utimur propter  
Deū. Deo autē nō utimur propter aliud, sed fruimur propter seipsum, quia  
ipse est summū & vltimū bonū. Tanta verò ex hac Dei visione nascitur dele-  
ctatio, quod sancti vel beati mallent esse in inferno, & conspicerē vul. ū Dei,  
quam sine hac visione esse in cælis. Si enim apud inferos essent, nullā possent  
sentire pœnā præ suavitate diuinæ contemplationis: cuius reuera tâta est de-  
lectatio, ut si quis mortalium omnium afflictiones ab exordio mundi ad finem  
vsq; perculisset, ac deinde vel ad momentū ad diuinæ essentia conspectū ad-  
mitteretur, abundè illi, pro omnibus esset satisfactum. Tanta est, inquit, in  
diuinæ maiestatis perspicua contemplatione & fruitione sita voluptas, quod  
etiam si totus mundus esset aureus, & omniuarijs plenus delictijs, beati nec ad  
momentū suos à Deo obrutus deflecterent. Quantaquā nō nec. se habent quip-  
piā extra Deū conspicerē: quando quicquid videre, quicquid nosse, quicquid  
habere cupiunt, totum habent in Deo. Quicquid enim illic appetitur, illico  
præsto est. Ut enim Augustinus ait, Felicitas est habere omne quod cupias,

Esaie 66.

Psalm 10.

Psalm 44.

Gregorius.

Bernardus.

August.

Beatitudinis

superæ im-

mortalis

quæ.

Augustin.

Frui quod ipse

proprie sit,

quoque solo

fruendum.

Delectatio

diuinae frui-

tionis quan-

ta sit.

T. VI  
22

Felicitas  
quid sit.  
August.  
Aristotel.  
Felicitate  
ve am bon  
p. sic fore in  
hac vita.

nihil habere quod oderis. Et Aristoteles in Ethicis, Felicitas, inquit, est desiderij expletio. Non potest autem fieri, teste Augustino, vt sit homo beatus, nisi sit etiam de suæ felicitatis perpetuitate securus. Non est igitur vera felicitas in hac vita: quia nec diuturna quidem esse potest: nec quisquam est, qui non patiatur aliquid molestum, vel quo carere malit, vel qui non timeat quippiam eiusmodi sibi posse accidere, quod nolit. Nemo etiam est, qui habeat quicquid velit. Imo semper cupiunt homines quippiam, quod nondum sint adepti. Si quærat quis ex homine quamuis fortunato & potente num habeat pro voto omnia, puta tantum honoris & bonæ valetudinis, opum, potentia, gloriæ, & similia, quantum velit, respondebit, Minime. Esto, sit simul rex, Imperator, & summus Pontifex, imo toti orbi dominetur: nec sic contentus erit, sed optabit plures esse mundos, aut hunc mundum augeri, sicut de quodam rege legitur. Non est ergo perfecta felicitas in hac vita. Si quidem nihil hic tam grande, tam præclarum, tam bonum inuenitur, quod possit totum explere desiderium nostrum. Si quæras, Quid igitur exariabit hominem, atque ita beatum reddet, vt nihil vltro cupiat? (Si enim aliquid appetat quod habere non possit, pœnam sentiet, nec erit perfectè beatus)

Satiare ani-  
mum homi-  
nis quodnam  
solum possit.

Vtique Dominus Deus totum implebit animi appetitum, utpote qui est summum & infinitum bonum, omne creatum excedens desiderium, adeo vt nihil simus appetituri, quod non confestim consequamur. Nec tamen satietas ipsa pariet fastidium. Ibi sensus omnes replebuntur castissimis ac honestissimis delectationibus non solum pro voto, sed longè vltra quam desiderari queat. Ibi nimirum dulcissimæ resonant melodix angelorum & omnium sanctorum: & in tanta multitudine voces singulorum distinctè percipiuntur: imo etiam vnus cuiuslibet vox tam erit suaui ac tinnula, tam iucunda ac continua, vt si cuncta musica instrumenta simul adhibeantur & pulsentur, non possint adæquare suauiatatem & harmoniam, quam reddet quilibet sanctorum voces sua. Et quamuis sit sanctorum innumera multitudo, tamen vnusquisque cognoscit omnes & singulos: & tantum quilibet gaudet bonis aliorum vt suis. Vnde beatus Anselmus, Quilibet, inquit, sanctius videbit clare, in verbo scilicet, vel propriètorum electorum cœtum, ac singulatim quemlibet angelum & hominem, neque latebit quenquam qua gente, qua patria, aut ex qua stirpe quisque conditus sit, videbitque omnium & cuiuslibet eorum gaudia quilibet, & quicquid Deus singulis dedit & daturus est in æternum. Et quia perfecta in illis inest charitas tam Dei quam proximi, quilibet tantum amat proximum suum, quantum seipsum: atque in tantum gaudebit bonis proximi sui, quantum proprijs. Potest id exemplo declarari. Si quis germanum aut amicum haberet longè charissimum quem perinde ac seipsum diligeret, is quò iam huc veniret: quicquid reuerentiæ, honoris, amoris, officij ac benevolentia illi præstaretur, haud secus gratum haberet, ac si ipse esset præstitum. Quid igitur erit in cælis? Reuera charissimi, si omnis charitas & amicitia mortalium omnium huius vitæ præteritorum & præsentium in vnum conflaretur, non esset tanta, quanta est cuiuslibet sancti erga alium in patria. Cum ergo sint in cælis infinitæ sanctorum myriades, & tamen vnus quilibet tum omnes, tum singulos cognoscat, perspectamque habeat omnium & singulorum beatitudinem, ac inde haud

Beatitudo  
sanctorum  
quam sit per-  
fecta.  
Anselmus.

Charitas san-  
ctorum, quã  
ta sit, in cælo

aliter,

aliter, quam de sua lætetur, quantum putatis ibi gaudij redeat & redundet in vnum quemque illius regni ciuem, in tanta societate, ex solo amore & alienæ felicitatis congratulatione? maximè quando inter ipsos sanctos tanta est ordinum & præmiorum, quanta fuit ac meritorum, varietas & distinctio, adeo vt quidam affirmant non esse illic duos omnino æquales, sed singulos habere quiddam excellentius cæteris. Vnde etiam Ecclesia de quolibet sancto verè canit: *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excellenti.* O quam iucundum esset videre illic multitudinem sanctorum Pœnitentium, qui peccata sua hic amare fleuerunt, & seuera ac rigida pœnitentia castigauerunt, puta, ieiunijs, vigilijs, elemosynis, operibus obedientiæ, misericordiæ & charitatis: quibus iam nihil nocent peccata sua, nec sunt illis pudori aut dedecori, sed gaudent & gratias agunt Deo quod sua misericordia ipsos ex illis eripuerit, nec perire permiserit. Adeoque etiam honori ipsis sunt malefacta eorum, eo quod non perseverauerint in illis, sed ea odio habuerint: cæteriq; omnes illis quod euaserint congratulantur. Ad hos pertinet quod in hodierno Euangelio dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quod iam illis præstitum est. Olim luxerunt & sua & aliena peccata: doluit illis contemptus & iniuria Dei. Itaque nunc consolatione aeterna recreantur. Abstergit enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, neque erit vltra luctus vel clamor, sed nec vllus dolor: quoniam priora transferunt. O quantam ibi gaudendi materiam exhibet chorus & societas sanctarum virginum, quæ virginis filium Dominum nostrum Iesum Christum imitatæ, pro illius amore terrenas nuptias, omnesque carnis delectationes contempserunt: potiusque varia tormentorum genera, & ipsam adeo mortem perpeti voluerunt, quam vel semel voluptatem imo turpitudinem veneream experiri. Atque eam ob rem pro sponso corruptibili regem immortalem adeptæ sunt, cum quo iam nuptias celebrant nunquam desituras: habentque in signum victoriæ, quam de sua carne reportauerunt, singularem coronam aureolam. Vnde de eis dicitur illud. Apocalypsis. Hi empti sunt de terra: quia cum mulieribus, siue viris non sunt coinquinati: virgines enim permanferunt. Hi sequuntur agnum, id est, Dominum Iesum quocunque ierit. Et cantabunt canticum, quod nemo alius dicere poterit. His congruit ea hodierni Euangelij sententia: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vbi notandum est, non dici, Beati casto corpore, quia non satis est carnis seruasse integritatem, nisi etiam cordis & mentis, id est, affectus & cogitationis munditia seruetur. Ingens præterea illic gaudium efficiunt sancti confessores, monachi, Episcopi & doctores, qui cum in terris agerent, non suam, sed Domini sui gloriam quaesierunt, atque vnanimes vixerunt in humilitate & patientia, in abstinentia, in laboribus & vigilijs, in charitate non ficta. Denique super pauca constituti, fideles se præbuerunt: ideoque introducti sunt in gaudium Domini sui. Hos illa respiciunt verba quibus dicitur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacem enim conciliauerunt inter Deum & homines orando, sacras hostias offerendo, concionando, docendo, exempla optima præbendo, peccata castigando. Quamobrem filij Dei vocantur: sicut ediuerso, qui dissensiones & discordiam excitant, malo exemplo vel consilio alios deprauant, & quod pessimum est, malignè detrahunt,

Ecl. 44.  
Felicitas pœnitentium  
quanta sit in  
caelis.

Math. 5.

Esaie 25.  
Apo. 7. 21.

Virginum in  
caelo quanta  
sit felicitas.

Apo. 14.

Math. 5.

Confessores  
gloria qua  
ta sit in caelis.

Math. 25.

Math. 5.

Detrahentes  
vt sint filij  
diaboli.

T. VI  
22

filij sunt diaboli, quia opera illius faciunt. Atqui sicut furtum facienti, & ablatum non restitueri si facultas adfit, non meretur peccati veniam, quantumlibet confiteatur vel absoluat: ita etiam & quidem multo minus prodest confessio inique & maligne detrahenti, nisi reuocet quod male dixerit. Quod si etiam verum est id quod dixit, sed tamen occultum, peccat grauiter id alij referendo, praesertim si faciat mala intentione, puta ad confundendum illum cui detrahit vel ex displicentia, aut inuidia, siue ut alij placeat. Quamobrem periculosum est de factis aliorum male loqui, in peiorem partem interpretando: quando vnusquisque ita debet tueri famam proximi, vt vlcisci, id est, dicere vel facere quippiam, quod sit contra proximi charitatem, ij sane non aliter accedunt ad Christi venerabile Sacramentum, quam Iudas impius, qui Christi quidem corpus sumpsit, sed iam prodicionis virus penitus imis hauserat visceribus. Sed hoc fortasse non nihil extra propositum. Quae tandem puritatis dilectissimi gloria & beatitudo ac laetitia est in caelis inuictissimorum martyrum, quos non tribulatio, non fames, non gladius, non persecutio, non mors neque vita potuit separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu? Ad quos vtiq; referenda sunt illa praesentis Euangelij verba: *Beati qui seruant cetera iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Porro gloriosissimus sanctorum Apostolorum Senatus, quos Dominus ex simplicibus piscatoribus, suos fecit legatos, & Ecclesiae principes ac fundamenta, in inarrabili tota caelestem curiam laetitia afficit. In quondam parentes, cognatos & omnes mundi facultates & vanitates contemplerunt, vt essent participes paupertatis Christi. Quapropter venturi sunt iudices & assessores iudicis Christi, iudicabuntur duodecim tribus Israel. Illis bene quadrant ea verba quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu, qui sanctam amant paupertatem: quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Adest ibi ad cumulum laetitia venerandus Patriarcharum ac Prophetarum ceteris, qui aduentum Domini Saluatoris longe ante praedixerunt, & longanimiter sustinuerunt. Quibus Deus reuelauit secreta sua, quae scripto & verbo deuulgauerunt: atque ea causa nec vitae nec laboribus pepercerunt. Quibus propterea pulchre accommodantur verba illa hodierni Euangelij. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Accedit his beatissimorum frequentia Angelorum, qui sanctis, dum adhuc in terris degerent, fide summa semper assiterunt, eosq; protegerunt, bona illis inspirauerunt, opem tulerunt, orationes illorum super sanctum altare caeli aureum obtulerunt, & defunctos aut in Abraham sinum, aut euestigio ad beatitudinem deportarunt.

Et qui male de alijs quae sit periculosum.

Martyrum felicitas in caelis quanta sit.

Rom. 8.

Matth. 5.

Apostolorum gloria in caelis quanta sit.

Matth. 16.

Matth. 5. Patriarcharum & prophetarum beatitudo in caelis quanta sit.

Matth. 5. Angelorum in caelis felicitas quanta sit. Apocal. 8.

Mariae Dei-patris virginis gloria quanta.

Iam vero quid de sacratissima & reuerendissima Dei matre semper virgine Maria dicemus, quantum scilicet augeat supernae patris gaudia videre illam praesentem super omnes angelorum ordines exaltatam, sacrosanctae Trinitati proximam, virginem singularem & matrem admirabilem, quae nec primam visa est similem nec habere sequentem? Quam S. Trinitas sicut dignissimum effecit Christi Iesu habitaculum in terris, ita in caelis constituit Dominam vniuersorum, post Christi humanitatem creaturis omnibus praestantiorum atque perfectam: fecitque eam matrem misericordiae, reginam pietatis & clementiae, imperatricem totius caelestis curiae, regnum poenitentium, solatium miserorum, apothecam diuinae gratiae, & diuinam misericordiam.

sericordie serinium. Nihil enim nos vult habere Deus, vt ait D. Bernardus, quod non transeat per B. Mariæ manus. Denique adest ibi sacratissima Christi Iesu humanitas, quæ præ omnibus ineffabilem adfert lætitiã sanctis & angelis, cuius passionẽ redempti, cuius sanguine viuificati, cuius exemplis instructi, cuius morte ad vitam reducti sumus. Videtis dilectissimi, quanta nobis bona in cælis reposita sunt, quibus iam felicissimè absque vlla amittendi formidine perfruuntur sancti omnes, quorum hodie solennitas agitur. Agedum igitur contemnamus tota animi virtute quicquid nos ab illis bonis impedire potest: eaq; summo studio amplectamur, quæ nobis possint esse adminiculo, vt ad illam felicissimam sanctorum omnium sodalitatẽ pertingamus. Ecce etiam ipsi nos cupidissimè expectant. Negare nihil illis Deus potest, quia charissimos eos habet. Imploremus ergo eorum suffragia: multum enim possunt apud Deum. Pauperes sumus: quæramus ab illis, vt pote ditissimis, largas elemosynas. Credite mihi, nihil nobis negare poterunt, si ipsos piè erimus venerati, Præstet nobis omnipotens Deus, vt quandoque ad illorum consortium pertingere mereamur, gratia & benignitate sua qui est benedictus in secula, Amen.

Bernard.  
Humanitas  
Christi quan-  
tum gaudiũ  
præstet bea-  
tus in celo

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI. EPI-  
stolam cum sua Paraphrasi quare in festo D. Nicolai  
Episcopi. Item ibidem inuenies Euangelij  
Exegetin.

## SERMO IN EODEM FESTO.

*De vitanda crapula & comotationibus: item in quibus S. Mar-  
tinum imitari debeamus.*

**E**cce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. Ec-  
clesiast. XLIII. Magni & eximij Pontificis D. Martini festũ diem nũc  
celebramus dilectissimi: vtinam congra deuotione vtinam digna ani-  
mi alacritate, studio & feruore. Proponitur hic nobis homo sanctissimus,  
cuius vitam imitari & vt eunq; posse exprimere, magnæ virtutis est. Cuius  
apud Deum tanta est autoritas, tanta gratia & potestas, vt quicquid pete-  
rit, non possit non impetrare. Quod propterea dixerim, vt propenioribus  
animis illius solennitatem celebretis, eius suffragia ardentius ambiatis, eius  
exempla studiosius imitari velitis. Solent quidem passim homines diem  
istum largioribus epulis & profusioribus gaudijs præuenire, atque in pro-  
festi eius cœna indulgere poculis, & multo recenti exhilarare animum. Sed  
vtinam tam essent prompti ad imitandas beatissimi Patris virtutes, & spiri-  
tibus potius sese recreare gaudijs, diuinisque laudibus eorum diem  
transigere, sacras ædes assidue visitare, & salutis suæ curam agere, quam  
externa illa celebrare conuiuia, quibus maxima pars ad Dei & sancti  
Martini iniuriam abutuntur, dum adeo sese vino & cibo ingurgitant, vt  
sequenti die ad diuina omnia prorsus inepti sint. Possent quidem tolerari  
sobria & honesta conuiuia, sed in illis nihil spectari aliud, quàm corporis  
voluptates, nec vllam aut tenuem Dei sanctorumque eius habere mentio-

In eos qui  
hoc die &  
præcedenti  
largè student  
calicibus ex-  
hauitendis.